



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

1. Vtrum Christus debuerit solitariam vitam ducere, an inter homines conuersari.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

ra. & q. Christus inter eos vique ad illud tempus, cum suis concubitus conuersatus est sine offensa & sine scandalo proculdubio: quod non curatum fuisset, si iuuenis, Faber pauper, interem se in opere exhibuisset.

& praedestinavit conformes fieri imaginis Filij sui. Vnde Hilarius dicit super Matt. \* quod super Iesum baptizatum descendit Spiritus sanctus, & vox Patris audita est, dicens, Hic est filius meus dilectus, ut ex his, quae consumabantur in Christo, cognoscere-mus post aquae lauacrum, & de caelestibus portis sanctum in nos spiritum inuolare, & paternae vocis, adoptione, Dei filios fieri.

Super Quaestio-nem quadraginta Articulo-rum primum.

QVAESTIO XL.

De modo conuersationis Christi, in quatuor articulos diuisa.

**T** IULIUS clarus, in corpore vna conclusio: Christus conuenienter vitam socialem assumpsit. Probatur: Christus debuit tale viuenti modum assumere, quod conueniret fini incarnationis: sed finis incarnationis exigit vitam socialem, ergo. Minor declaratur: quia triplex est finis incarnationis, primo, testimonij veritatis. Secundo, saluare peccatores. Tertio, adducere homines ad Deum. Omnia clara sunt in litera.

**C**ONSEQUENTER post ea, quae pertinent ad ingressum Christi in mundum, vel ad eius principium, considerandum restat de his, quae pertinent ad progressum ipsius.

Et primo, considerandum est de modo conuersationis ipsius: secundo, de tentatione eius: tertio, de doctrina: quarto de miraculis.

Circa primum queruntur quatuor.

Primo, Vtrum Christus debuerit solitariam vitam ducere, an inter homines conuersari.

¶ Secundo, Vtrum debuerit austeram vitam ducere in cibo, & potu & vestitu, an aliis communem.

¶ Tertio, Vtrum debuerit abiectione viuere in hoc mundo, an in diuitiis, & honore.

¶ Quarto, Vtrum debuerit secundum legem viuere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conueniens fuerit, Christum inter homines conuersari.

**A**D PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod Christus non debuerit inter homines conuersari, sed solitariam vitam agere. Oportebat enim, quod Christus sua conuersatione non solum se hominem ostenderet esse, sed etiam Deum: sed Deum non conuenit cum hominibus conuersari: dicitur enim Daniel. 2. Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conuersatio: & Philosophus dicit in 1. Politice, quod ille qui solitarius viuunt, aut est bestia, si scilicet propter contemplandam veritatem, ergo uideatur, quod non fuerit conueniens Christum inter homines conuersari.

¶ Præterea, Christus dum in carne mortali vixit, debuit perfectissimam vitam ducere: perfectissima autem vita est contemplatiua, ut in secunda parte habendum est. \* Ad vitam autem contemplatiuam ma-

xime competit solitudo, secundum illud Osee. 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius, ergo uiderit, quod Christus debuerit solitariam vitam ducere.

¶ Præterea, Conuersatio Christi debuit esse vniformis, quia semper in eo debuit apparere id, quod optimum est: sed quandoque Christus solitaria loca quarebat, turbas declinans: vnde Remigius dicit super Mattheum. Tria refugia legitur dominus habuisse, natium, montem, & desertum: ad quorum alterum quotiescumque a turbis comprimebatur, conscendebat. ergo & semper debuit solitariam vitam agere.

**S**ED CONTRA est, quod dicitur Baruch. tertio. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est:

**R**ESPONDENDUM, quod conuersatio Christi talis debuit esse, ut conueniret fini incarnationis, secundum quam venit in mundum. Venit autem in mundum, primo quidem ad manifestandum veritatem, sicut ipse dicit Ioan. 18. In hoc natus sum, & adhuc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: & ideo non debebat se occultare, vitam solitariam agens sed in publicum procedere, publice prædicando, Vnde Luc. 4. dixit illis, qui volebant eum derinere: quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Secundo

venit ad hoc, ut homines a peccato liberaret, secundum illud prima ad Timotheum primo, Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Et ideo ut Chrysostomus dicit, in eodem loco manendo posset Christus ad se omnes attrahere, ut eius prædicationem audirent: non tamen hoc fecit, præbens nobis exemplum, ut perambulemus, & requiramus pereuntem, sicut pastor ouem perditam, & medicus accedit ad infirmum. Tertio venit, ut per ipsum habeamus accessum ad Deum, ut dicitur Romano. quinto. & ideo familiariter cum hominibus conuersando, conueniens fuit, ut hominibus fiduciam daret ad se accedendi. Vnde dicitur Mattheo nono. Factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores uenientes, discumbant cum Iesu & discipulis eius, quod exponens Hier. \* dicit, uiderat publicani, a peccatis ad meliora conuersi, locum inuenisse poenitentiae: & ob id, etiam ipsi non desperant salutem.

**A**D PRIMUM ergo dicendum, quod Christus per humanitatem suam, uoluit manifestare diuinitatem. Et ideo conuersando cum hominibus (quod est proprium hominis) manifestauit omnibus suam diuinitatem, prædicando, & miracula faciendo, & innocenter, & iuste inter homines conuersando.

**A**D SECUNDUM dicendum, quod (sicut in secunda parte dictum est) vita contemplatiua simpliciter est melior quam actiua, quae occupatur circa corporales actus sed vita actiua secundum quam aliquis prædicando & docendo, contemplata alijs tradit, est perfectior quam vita, quae solum contemplatur: quia talis vita presupponit abundantiam contemplationis: & ideo Christus talem vitam elegit.

**A**D TERTIUM dicendum, quod actio Christi fuit nostra instructio. Et ideo ut daret exemplum prædicatoribus, quod non semper se darent publicum: in quandoque dominus se a turbis retraxit: quod quidem legitur fecisse propter tria. Quandoque quidem, propter corporalem quietem: vnde Marc. 6. dicitur, quod dominus dixit discipulis, Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusilli: erant enim qui uenie-

bant

62.2. in Mat. circa 8.

In Car. 3. cor. & ad 3. Et 22. q. 25. art. 9. ad 5.

In 3. ca. 2. med. tom. 5.

In 9. q. 18. art. 9. ad 4.

In Luc. 4. dicitur, quod Christus uenit in mundum, ut testimonium perhiberet ueritati.

In q. 1. ad 1.

In Rom. 5. dicitur, quod Christus uenit, ut per ipsum habeamus accessum ad Deum.

In Hier. \* dicitur, quod uiderat publicani, a peccatis ad meliora conuersi.

In 3. q. 1. ad 1. dicitur, quod vita actiua secundum quam aliquis prædicando & docendo, contemplata alijs tradit, est perfectior quam vita, quae solum contemplatur.

bant & redibant multi, & nec sparium manducandi habebant. Quandoque vero causa orationis, unde dicitur Luc. sexto. Factum est in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Vbi ait Ambrosius. \* quod ad precepta virtutis suos informat exemplo. Quandoque vero, vt doceat fauorem humanum vitare, unde super illud Matth. quino. Videns Iesus turbas, ascendit in montem, dicit Chrysostomus. † Per hoc, quod non in ciuitate & foro, sed in monte & solitudine sedit erudit nos, nihil ad ostentationem facere. & a tumultibus abscedere, & maxime, cum de necessarijs disputare oporteat.

ARTICVLVS II.

*Vtrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit.*

**A**D SECVNDVM sic proceditur. Videtur, quod Christus debuerit austeram vitam ducere in hoc mundo. Christus enim multo magis predicauit perfectionem vitæ, quam Ioannes: sed Ioannes austeram vitam duxit, vt suo exemplo homines ad perfectionem vitæ prouocaret: dicitur enim Matth. tertio, quod ipse Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre: quod exponens Chrysostomus. \* dicit, Erat mirabile in humano corpore, tantam patientiam videre, quod & Iudæos magis attrahebat, ergo videtur quod multo magis Christum decuerit austeritas vitæ.

**¶** Præterea. Abstinencia ad continentiam ordinatur: dicitur enim Osæ 4. Comedent, & non saturabuntur, fornicati sunt, & non cesauerunt: sed Christus continentiam in se seruauit, & alij seruandam proposuit, cum dicit Matt. 19 sunt eunuchi, qui se castiauerunt propter regnum celorum: qui potest capere capiat, ergo videtur, quod Christus in se, & in suis discipulis austeritatem vitæ seruare debuerit.

**¶** Præterea. Ridiculum videtur, vt aliquis districtiorem vitam incipiat, & ab ea in laxiorem reuertatur: potest enim dici contra eum quod habetur Luc. 14. Hic homo capit ædificare, & non potuit cõsummare. Christus autem districtissimam vitam incepit, post baptismum manens in deserto, & ieiunans quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ergo videtur non fuisse cõgruum, quod post tantam vitæ districtiorem ad communem vitam rediret.

**A** SED CONTRA est, quod dicitur Matth. vndecimo. Venit Filius hominis manducans, & bibens.

**R**ESPONDEO. Dicendum, quod (sicut dictum est \*) congruum erat incarnationis fini, vt Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conuersaretur: qui autem cum aliquibus conuersatur, conuenientissimum est, vt se eis in conuersatione conformet, secundum illud Apostoli primæ ad Corinth. nono. Omnibus omnia factus sum, & ideo conuenientissimum fuit, vt Christus in cibo, & potu communiter se sicut alij haberet. vnde Augustinus \* dicit contra Faustum, quod Ioannes dictus est non manducans neque bibens, quia illo victu, quo Iudæi utebantur, non utebatur. Hoc ergo nisi dominus vteretur, non in eius comparatione, manducans bibensque diceretur.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod dominus in sua conuersatione exemplum perfectionis dedit in omnibus, quæ per se pertinent ad salutem. Ipsa autem abstinentia cibi & potus, non per se pertinet ad salutem, secundum illud Rom. 1. Non est regnum Dei esca & potus. Et August. \* dicit in lib. de Questionibus Euang. exponens illud Matth. 11. Iustificata est sapientia a filiis suis: quia scilicet sancti Apostoli intellexerunt regnum Dei non esse in esca, & potu, sed in æquanimitate tolerandi, quos nec copia subleuat nec deprimit egestas. Et in 3. \* de doctrina Christiana dicit, quod in omnibus talibus non vitus rerum, sed libido ventis in culpa est. Vtraque autem vita est licita & laudabilis, vt scilicet aliquis a consortio hominum segregatus abstinentiam seruet, & vt in societate aliorum positus, cõmuni vita utatur. & ideo Dominus voluit vtriusque vitæ exemplum dare hominibus. Ioannes autem (sicut Chrysostomus dicit super Matth.) nihil plus ostendit præter vitam & iustitiam: Christus autem & a miraculis testimonium habebat, dimittens ergo Ioannem ieiunio fulgere, ipse contraria in cessit via, ad mensam intrans publicanorum, & manducans, & bibens.

**A**D SECVNDVM dicendum, quod sicut alij homines per abstinentiam consequuntur virtutem continendi, ita etiam Christus in se & in suis discipulis per virtutem suæ diuinitatis carnem comprimebat. vnde sicut Matth. nono dicitur, Pharisei, & discipuli Ioannis ieiunabant, non autem discipuli Christi: quod exponens Beda dicit, \* quod Ioannes vinum & siceram non bibit: quia illi abstinentia meritum auget, cui potentia nulla inerat natura. Dominus autem, cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret, quos abstinentibus poterat reddere puriores?

**A**D TERTIVM dicendum quod sicut Chrysostomus \* dicit super Mattha. Vt dicas quàm magnum bonum est ieiunium, & qualiter scutum est aduersus diabolum, & quoniam post baptismum non lasciuia, sed ieiunio intendere oportet, & ipse ieiunauit, non eo indigens, sed nos instruens: non autem ultra processit ieiunando, quàm Moyses & Helias, ne incredibilis uideretur carnis assumptio: secundum mysterium autem, vt Gregorius \* dicit, quadragenarius numerus exemplo Christi ieiunio custoditur: quia virtus decalogi per libros quatuor sancti euangelij impletur: denarius enim quater ductus, in quadragenarium surgit. Vel quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subtilissimus, per cuius voluntatem, præceptis dominicis contrahimus, quæ

Tertia S. Thoma. S per

Hom. 1. in Luc. 6. cap. 1. De oratione le. ante medi. rom. 1.

Super Questionibus quatuordecim Aristotelis secundum.

In solus clarus. In corpore vna conclusio: Cõueniens fuit, vt Christus in cibo, & potu sicut alij se haberet. probatur primo Congruum erat incarnationis fini, vt Christus socialem vitam duceret, ergo conuenientissimum fuit, &c. Probatur sequela: quia qui cum alijs conuertitur, conuenientissimum est, vt conformetur alijs, quod probatur etiam primo ad Cor. 9. Faciamus sum omnia omnibus. Robatur secundo auctoritate Augustini, immo domini. Ma. 11.

In responsione ad primum, nota & si-ge anno doctrinæ hanc scilicet, Christus exemplum fuit perfectionis in omnibus, quæ per se pertinent ad salutem: hinc enim habes, quod in his, quæ non per se pertinent ad salutem (quæ scilicet non sunt ieiunium se bonum, sed solum relaxata ad aliquem finem, vt abstinentia, paupertas, & alia humiliorum) non oportet inquirere in Cũbito austeriora tanquam perfectiora: sed ea quæ magis consonant incarnationis fini, siue sint austeriora, siue non.

Hom. 1. in Mattha. 11. cap. 1.

In cap. 1. Mat. 11.

In cap. 1. Mat. 11. D. 115.

Art. præce.

lib. 16. c. 30. ante medi. tom. 6.

lib. 2. ca. 11. ante medi. tom. 4.

lib. 1. ca. 12. par. 1. pri. tom. 2.

supra illud Marci 2. Quare discipuli tui non ieiunant? Est c. 22. secundum ord. Bede 102. Hom. 17. in Mat. non remore a pri. tom. 2.

Hom. 16. in euang. post medi. illius.